

ne Ecclesiæ: hoc jam est recurrere ad aliam regulam, nempe ad Ecclesiæ acceptionem, et hæc etiam potest esse regula pro aliis credendis.

XXII. Respondetur negando antecedens. Ad ejus probationem respondetur solutione ibi data, quod pontifex est suprema regula et sui, et aliorum, sicut illud quod est perfectissimum in aliquo genere est mensura sui, et cæterorum. Hoc tamen habet pontifex supposita acceptione Ecclesiæ, non quod acceptione Ecclesiæ sit regula, sed requisitum necessarium, seu conditio, ut ille homo regula sit: sicut enim Ecclesia habet jus eligendi sibi pontificem, ita et acceptandi ipsam electionem, et facta rite electione electum acceptare tenetur; quod si non acceptat rationabiliter propter aliquem defectum electionis vel electi, ille non est adhuc rite et certus pontifex, et ideo non mirum quod de se ipso non possit judicare: posita vero acceptione electionis ab Ecclesia papa judicat et determinat tam de se ipso quam de aliis ex potestate accepta a Christo in institutione Petri et successorum ejus: unde in virtute hujus potestatis, et directionis divinæ etiam de se ipso judicare potest, quia in rebus fidei etiam persona papæ auctoritati papæ subjicitur, sicut etiam ligat seipsum pontifex quando definit res fidei, et tenetur credere ea quæ definit: non vi dixit optime Cajetanus in fine commentarii super hunc articulum decimum papa in his excedit seipsum, sicut David in excedendo seipsum, se et omnes vere judicavit mendaces dicens: *Ego dixi in excessu meo omnis homo mendax*; Psalm. cxv, de hoc tamen infra agemus tractando an sit de fide per se primo hunc hominem esse pontificem Quod autem ipsa Ecclesia pontificem possit eligere,

et ipse sic electus omnem auctoritatem Petri suscipiat, præter probationes inferius adducendas, constat ex traditione per successiones episcoporum ab Apostolis veniente, et unanimi Ecclesiæ consensu sic semper continuantis regimen, et gubernationem suam per successionem pontificum eligendo ipsos: unde et patres cum probant esse veram Ecclesiam hanc nostram, quam catholicam nominamus, et in ea esse legitimam Scripturam divinam id probant ex traditione Apostolorum, et successione episcoporum in ipsa, sicut potest videri in Irenæo supra citato, libro tertio, capite quarto; Tertulliano de præscriptionibus; Augustino in libro contra epistolam fundamenti capite quarto; quorum verba supra retulimus.

XXIII. Tertio arguitur: Pontifex non potest determinare, et proponere res fidei nisi præcedente disputatione, et discursu, res autem fidei per discursum non acquiruntur, sed simplici revelatione: ergo non debent determinari per pontificem. Major est certa; tum, ex communi praxi, et consensu Ecclesiæ, in qua nihil definitur nisi magna præcedente disputatione; tum, ex facto Apostolorum Actorum xv, ubi convenientes ad rem quamdam definiendam prius magna conquisitio facta est. Minor patet, quia dicit Damascenus iv fidei, capite duodecimo: «Fides non est inquisitus assensus;» ergo non innititur discursui, et inquisitioni, sed simplici auctoritati. Confirmatur, quia si ea quæ sunt fidei sic determinantur non potest pontifex definire nisi conclusiones theologicas et scitas, quia per disputationem præcedentem prius per discursum inferuntur, quam definiuntur.

XXIV. Respondetur distinguendo minorem. Res fidei non acquiruntur per discursum, sed simplici re-

velatione quantum ad rationem formalem credendi, et ipsum assensum, qui est actus fidei, concedo; quantum ad determinationem, et discussionem quæstionum circa res fidei, et discernendum credenda a non credendis, nego minorem. Et hoc modo intelligitur auctoritas Damasceni: «Quod fides est non inquisitus assensus,» quantum ad ipsum actum credendi, et rationem formalem ejus, quia innititur auctoritati divinæ immediate, et non discursui nostro. Ea tamen quæ fidei actum antecedunt, et pertinent ad determinationem eorum, quæ credenda sunt, et ad judicanda dubia circa ipsa bene possunt pertinere ad discursum. Unde dicit D. Thomas 2-2, quæst. ii, art. x ad primum, quod homo habet inquisitionem quamdam eorum per quæ inducitur ad credendum, puta quod sint dicta a Deo, et miraculis confirmata, licet fides non habeat inquisitionem rationis naturalis demonstrantis.

XXV. Ad confirmationem respondetur nullum esse inconveniens quod res aliqua sit simul credita, et scita theologice, eodem modo quo theologia habetur in hac vita, scilicet non habendo evidentem visionem in suis principiis. De quo videatur magister Bagez in hac secunda secundæ, quæst. i, art. v, dub. i, conclus. iv. Deinde respondetur, non omnia quæ determinantur de fide necessario esse conclusiones theologicas, nec enim est necesse ad determinandum aliquid de fide illud inferri ex præmissis aliis de fide, sed sufficit quod constet de ejus traditione, aut consensu communi patrum, quod id continetur in revelatione Scripturæ, aut apostolica traditione: sicut etiam ut aliquis canonizetur pro sancto non est necesse quod inferatur tamquam conclusio theologica hunc

hominem esse in cælo, sed sufficit quod visis et probatis testimoniis, de ejus sanctitate, ac miraculis proferatur sententia canonizationis.

XXVI. Quarto arguitur: Nam probabile est Concilium generale, etiamsi papa non sit præsens, nec legati ejus habeant specialem instructionem a papa, etiam ante confirmationem pontificis non posse errare; ergo sufficienter habent fideles regulam fidei sine recursum ad papam, aut saltem non est omnino certum solum unam esse regulam fidei infallibilem, sicut D. Thomas intendit in articulo probando id ex unitate Ecclesiæ, et reducendo hanc regulam ad eum, qui præest Ecclesiæ.

XXVII. Ad hoc argumentum latius respondebitur infra ubi de regula quam possunt præbere Concilia ad res fidei disputabitur. Interim dicimus quod etsi dubium sit apud theologos, an Concilium rite congregatum ante confirmationem pontificis et sine ejus speciali instructione errare possit (et probabilius est posse errare) ita quod non habeat infallibilitatem non errandi independenter a confirmatione pontificis; tamen quo ad præsens attinet dicimus quod adhuc Concilium quantum est ex propria ratione Concilii non est ultima regula credendorum, si quidem non per se habet Concilium quod omnes in eo concordent in sententia ferenda; quo casu certum est apud omnes posse esse obnoxium errori, et indigere summi pontificis regulatione. In aliquo autem casu admitti potest quod Concilium errare non possit, scilicet quando est omnium concors sententia nemine discrepante: tunc enim quia Concilium repræsentat universalem Ecclesiam, et auctoritative est tota Ecclesia, etsi non entitative, et illa non potest errare, ideo dum in unam conspirant senten-

tiam de fide omnes patres Concilii non errabunt : quia tamen major pars Ecclesiæ errare potest, præsertim ante summi pontificis determinationem, et Concilium ex vi Concilii non semper habet, imo fortè rarius ex communi, et concordia omnium sententia procedere, ideo per se loquendo Concilium non est ultima regula sed necesse fuit dari aliam, quæ nunquam sentire posset defectum. Item licet errare non posset Concilium generale, tamen quia in Concilio generali semper supponitur subordinatio ad caput Ecclesiæ, quam subordinationem si non haberet non esset Concilium sicut Ecclesia sine subordinatione ac caput, non esset Ecclesia; ideo licet errare non possit Concilium, id tamen non potest supposita subordinatione, et illa stante, non aliter, ac proinde, ut ipsa subordinatio servetur, necesse est quod sicut Concilium judicat, ita pontifex confirmet, et judicet, sicut in omnibus causis subordinatis apparet : licet enim homo generare possit hominem ut propria, et per se causa illius, tamen quia id non habet nisi cum subordinatione ad solem, necesse est quod sol influat, nec superfluit ejus causalitas, et similiter aliæ causæ superiores. Sic licet Ecclesia, vel ejus repræsentatio, quæ est Concilium errare non possit, id tamen non potest ut causa subordinata, atque adeo ex influxu superioris, qui est pontifex non errabit, et illa subordinatione sublata, Concilium non erit, et errare poterit.

XXVIII. Quinto arguitur : Non requiritur infallibilis auctoritas in proximo proponente fidem, ergo neque in primo, et suprema proponente. Antecedens patet, nam proxime proponens fidem est doctor particularis, aut prædicator, qui docet populo ea, quæ fidei sunt, cui non est facta aliqua pro-

missio infallibilis assistentiæ ne erret. Consequentia vero probatur; tum, quia populus non accipit immediate doctrinam fidei a summo pontifice, sed a prædicatoribus; ergo si ideo requiritur infallibilis regula in primo proponente visibili, quia Deus per seipsum non proponit, sed per alios homines, similiter in ultimo proponente requiretur hæc infallibilitas, quia populus non recipit a pontifice fidem, sed mediante prædicatore; tum secundo, quia populus tenetur credere infallibiliter prædicatori proponenti sufficienter fidem; ergo debet ei constare de infallibilitate proponentis, alias si potest errare, et falsum proponere non potest istum obligare ex vi suæ propositionis ad credendum, et ita nunquam obligarentur fideles ad credendum, nisi quando ipse pontifex proponeret per seipsum.

XXIX. Ad hoc argumentum respondet pater Suarez in tomo de fide disput. v, sect. 1, quod proxime proponens fidem, quando eam sufficienter proponit habet auctoritatem infallibilem quasi actualiter, et per modum transeuntis; supremum autem proponens, scilicet pontifex, habet eam permanentem, et per modum habitus. Et ratio est, quia non potest res dicta existimari infallibiliter vera ab audiente, nisi ipse dicens credatur non posse fallere in eo quod dicit. Si ergo res fidei sufficienter ab aliquo proponitur, necesse est quod obligetur credere illa esse vera, quæ sibi proponuntur, et consequenter ut credat ipsum proponentem non fallere; quia tamen urgeri potest ista responsio, quia proxime proponentibus nulla est facta promissio infallibilis auctoritatis nec per modum transeuntis et actualiter, nec per modum permanentis; ergo sine ullo fundamento dicimus illos habere auctori-

tatem infallibilem, etiam actualiter tantum. Respondet verum esse quod non habent proponentes, seu docentes fidem promissionem aliquam infallibilis auctoritatis factam ipsis personis, seu officio quod exercent, id enim est proprium pontificis, sed eam habere ratione ipsius propositionis factæ cum omnibus requisitis, ut sit sufficiens, et alium obliget ad credendum cui conjuncta videtur divina providentia, ad quam spectat, ut non sinat sufficienter tamquam de fide proponi quod non est de fide. Unde tandem distinguit inter eum qui habet infallibilem auctoritatem quasi permanentem sicut summus pontifex, qui est prima regula proponentium, et eum qui habet infallibilem auctoritatem quasi actualiter et transitorie; sicut proxime proponens quando sufficienter proponit res fidei, quod qui primo modo habet auctoritatem infallibilem, quasi communicat, et dat illam rebus dictis, statuendo, et determinando, quid sit de fide, quid non. Qui vero secundo modo habet auctoritatem potius accipit illam ab ista regula, et a motivis quibus illam confirmat, et sic quoties proponit sufficienter fidem potius habet infallibilitatem accipiendam ab ipsa doctrina, quam doctrinam infallibilem statuendo.

XXX. Cæterum modus iste dicendi in verbis videtur non nihil durior, nec enim propositio illa, ut jacet admittenda videtur : « Quod proxime proponens habet infallibilem auctoritatem ad non errandum etiam actualiter, et non per modum permanentis; » sed solum quod proponit sufficienter doctrinam infallibiliter credendam, et a legitima regula propositam, et Ecclesiæ traditam. Duo enim considerare possumus in proponente primo, alterum tenens se ex parte personæ, ut scilicet cum sufficienter proponit non erret, nec

possit errare ex vi officii, et personæ ad id ministerium electæ; alterum tenens se ex parte doctrinæ : et in his duo possunt considerari, alterum ex parte modi proponendi, seu motivorum, quæ afferuntur ad credendum, quod sufficientia sint; alterum ex parte doctrinæ propositæ, quod scilicet sit sufficiens. Quoad primum non potest concedi quod proxime proponens habeat infallibilem auctoritatem etiam per modum actualis exercitii, nec ipse Suarez concedit, quia ex vi ministerii, et officii quod exercet etiam quando illud actualiter exercet, non habet sibi promissam infallibilem assistentiam, si quidem singularis prærogativa est cathedræ Petri, ut ex vi officii, et cathedræ illius non possit errare in fide, et in hoc extollitur a patribus sedes illa super omnes alias, quia nulli alteri privilegium hoc concessum est, unde dixit Bernardus epistola cxcx ad Innocentium papam : « Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum, cui enim alteri sedi dictum est aliquando : Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua? » Quod si non alteri sedi; ergo nec alteri officio, aut ministerio.

XXXI. Quoad secundum vero, supposito quod proponuntur ab aliquo sufficientia motiva ut cognoscatur credibilitas nostræ fidei, et ipsa vera, et sufficiens doctrina fidei proponitur, certum est quod infallibilem auctoritatem habet, et sufficientem ab obligandum non quidem ex parte proponentis, sed ex parte rei propositæ, et credibilitatis ejus explicatæ, hæc enim est quæ obligat ad credendum. Quod autem alter teneatur credere quod qui dicit non potest ipsum fallere, nullo modo requiritur, quia ipse non movetur ab auctoritate illius, sed a rebus sibi propositis, et earum explicatione,

quæ sufficienter sibi facta est; nec enim ad proxime proponentem spectat determinare audientibus, quæ sint res credendæ, vel non credendæ, et dubia circa fidem per auctoritatem decidere, et sententiare, sed solum ea proponere quæ sufficienter movent ut ea quæ dicit credibilia judicentur, ad quod non est necesse spectare auctoritatem proponentis quod possit, vel non possit fallere, sed solum ad motiva, quæ proponit an sint sufficientia ad movendum, vel non. Et ratio est clara, quia ille qui proponit ad movendum aliquem ad fidem non potest suam auctoritatem infallibilem alteri declarare nisi per aliqua motiva quibus alter intelligat, aut credat talem infallibilitatem esse in illo homine; ergo impertinens est tunc recurrere ad infallibilitatem proponentis, sed solum ad infallibilitatem motivorum, quibus alter cognoscat credibilitatem eorum, quæ sibi proponuntur: constat enim obligationem ad credendum in audiente fidem, tunc nasci quando sibi sufficienter proponitur; sufficienter autem proponitur quando sufficientia motiva ad credibilitatem fidei ostendendam explicantur. De quo videatur magister Bagnez 2-2, quæst. x, art. 1, dubio ultimo. Vitanda est ergo locutio Suarez, quatenus indicare videtur in ipso proponente esse infallibilem aliquam auctoritatem, vel assistentiam divinæ providentiæ ne erret quando sufficienter proponit, quasi id necessarium sit, ut audiens fidem judicet ipsum, qui proponit non posse fallere, hoc enim nullo modo necessarium est, cum ille non sententiet, et determinet res fidei, sed moveat ad credendum. Imo si id teneretur judicare ille qui audit fidem a proponente etiam nunc omnes fideles tenerentur judicare quod ille proponens non potest fallere, si quidem omni infallibili ve-

ritati tenentur credere; constat autem quod ego non teneor credere quod ille non potest fallere, et si teneat credere res propositas ab illo, non tamen quia ab illo; eodem ergo modo tenetur judicare infidelis qui audit, et movetur ad fidem.

XXXII. Ad argumentum autem propositum facillime respondetur negando consequentiam. Ad primam probationem dicitur, quod populus accipit doctrinam fidei immediate a summo pontifice, ut a proponente per modum iudicis, et regulæ determinantis res fidei, ab aliis autem prædicatoribus ut a moventibus, seu manifestantibus iudicium papæ: sicut qui promulgat sententiam latam a principe, aut defert ejus leges ad alios non habet auctoritatem sancienti illas etiam per modum transeuntis, sed solum applicandi, et manifestandi sententiam, et leges principis; sic se habet pontifex in determinando, et prædicatore in proponendo. Quod autem diximus requiri regulam visibilem, quia Deus per seipsum non proponit, ideo est, quia Deus per se ipsum, nec proponit manifestando, nec proponit dubia determinando per seipsum, et ideo necesse fuit infallibilem regulam relinquere in determinante, et sententiante res fidei, non in omni manifestante.

XXXIII. Ad secundam probationem respondetur ex dictis, quod populus tenetur credere prædicatori proponenti sufficienter non ratione personæ, sed ratione rerum quas proponit, unde non debet ei constare de infallibilitate proponentis, sed de infallibilitate doctrinæ, aut quia proponitur ut definita, Ecclesia non contradicente, si cum catholicis agatur; aut quia proponuntur motiva sufficientia ad inducendam credibilitatem eorum quæ proponuntur. Unde potest quidem falsum proponere, sed tunc non

obligabit, quia nunquam stat quod sufficienter aliquis proponat aliquam doctrinam ut infallibiliter credendam, et quod proponat falsum, non propter infallibilitatem personæ, sed propter incompatibilitatem doctrinæ falsæ cum sufficienti propositione, sufficiens enim propositio non solum requirit miracula, nam etiam pseudochristi, et pseudoprophetæ dabunt signa, et prodigia magna ita ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi, ut habetur Lucæ xxii; sed quod miracula vera sint, et facta in confirmationem illius doctrinæ, et quod illa doctrina sit consona rationi, et consona Scripturæ, et traditioni antiquorum, etc. quæ omnia non possunt concurrere cum falsa doctrina. Quare sufficienter proponit, id est, cum omnibus istis motivis obligabitur ad credendum infallibiliter, non propter proponentem, sed propter sufficientiam doctrinæ, et motivorum ejus, quod non est inconveniens.

XXXIV. Sexto arguunt, et instant hæretici: Quia si pontifex judicat, et determinat ea quæ credenda sunt, ergo judicat et determinat ipsas Scripturas, earumque sensum; ergo habet auctoritatem super auctoritatem Scripturæ, et consequenter si Scriptura non est authentica nisi a papa proponatur; ergo magis authenticum, et majoris auctoritatis est verbum papæ, quam verbum Dei in Scriptura, quod est absurdum. Confirmatur, quia si fides nostra, et ea quæ credenda sunt pendent a iudicio Ecclesiæ; ergo pendet a verbo hominum, et consequenter debilissimo nititur fundamento, quod est contra ipsum verbum Dei, quod sicut Spiritu Dei est inspiratum, ita et Spiritu Dei debet intelligi.

XXXV. Respondetur, quod auctoritas papæ non est supra auctoritatem Scripturæ, aut ejus revelatio-

nem, quæ ex Deo est, sed supra explicationem ipsius Scripturæ, et determinationem eorum, quæ dubia sunt, et non explicata ad credendum. Nec illa consequentia est alicujus momenti: Scriptura non est authentica nisi a papa proponatur: ergo magis authenticum est verbum papæ, et majoris auctoritatis quam Scriptura. Proceditur enim in hac consequentia secundum quid ad simpliciter, in antecedente enim dicitur Scripturam non esse authenticam nisi a papa proponatur, quia id est necessarium ut conditio requisita ut sit authentica in ordine ad nos, non tamen ut ratio, et causa per se auctoritatis Scripturæ, sed propositionis, et declarationis ejus: in consequenti autem infertur quod magis est authenticum verbum papæ simpliciter et absolute, sed inferendum erat quod est magis authenticum in proponendo, et explicando Scripturam, quod verum est, nam Scriptura non explicat se, nec judicat, et determinat dubia circa fidem, sed præbet ea unde faciendum est tale iudicium. Sicut non valet similis consequentia: Ignis non potest calefacere nisi applicatus, ergo applicatio magis calefacit: Homo non potest ambulare nisi super terram, ergo terra magis ambulat, quia videlicet illud axioma: Propter quod unum tale, et illud magis intelligitur in causis per se, non in his quæ requiruntur ut conditio.

XXXVI. Ad confirmationem respondetur, quod fides nostra pendet a iudicio Ecclesiæ ut a conditione requisita, non ut a causa per se illius; hæc enim est divina auctoritas: unde non innititur debilissimo fundamento, quia propositio Ecclesiæ non est ejus fundamentum. Adde iudicium Ecclesiæ non esse verbum pure humanum, sed a Spiritu sancti assistentia gubernatum ratione cujus deficere non potest in fide,